



x quo, prolatis in dies reip. litterariæ finibus, illiusque
sacris cum hominibus omnium ordinum communicatis,
plures horum mysteriis initiari quodammodo voluerunt,
atque adeo duplex discipulorum genus, post finitam' illam
primam puerilis ætatis institutionem, morari cœpit in
scholis, unum eorum, qui penitus se dare velint littera-
rum studiis, eorum alterum, qui negotia ceterasque res humanas obituri sint;
orta est paulatim alia & nova scholarum facies, quæ, quomodo per singulas
ætates, & patrum memoria & nostra, fuerit comparata, cum plures alii docue-
runt, tum nos superiori anno, simili in scriptiuncula cum hoc argumentum
tractaremus, ostendere conati sumus.

Quæ quidem rei scholasticæ mutatio attulit necessario rerum tradendarum
augmentum, earum in primis, quæ pertinent ad communem vitæ usum, aptæ
que sunt cum ceteris tum ipsis litteratis hominibus, ita, ut utrumque genus
institutionis combinaretur.

Hac ratione cum nondum videretur satisfactum hominum desiderio, non-
nullis in locis paratum est novum scholarum genus, quod realium vocabant,
non prorsus absimile illi veteri, sed tamen isti consilio, de litteratura populari
& vitæ consuetudini inserviente, magis, ut opinabantur homines, accommoda-
tum. Neque enim excludebant interiorum litterarum studium tractationem-
que, quid? quod ipsum litteratorum hominum ordinem rerum suarum copia
ditare volebant.

Sed quoniam ne sic quidem constare sibi videbatur ex omni parte hæc ra-
tio & faustum reddere doctrinæ popularis & litterariæ connubium, propter
dissimilem utriusque conditionem; res jam eo devenit, ut ipsius divorci fa-
ciundi non obscure fiat mentio, quo suum utrique generi proprium & separa-
tum domicilium assignetur. Cui sententiæ accessit jam auctor non ignobilis (*),
cujus nuper prodit Hafniæ elegans & subtilis de hac re libellus. In quo,
dum consultum cupit militum præfectis, negotiatoribus, oeconomis, artifici-
bus opificibusque & omnino reliquis hominum ordinibus, qui litteratorum no-
men non præ se ferunt, id agit vir clarissimus, ut efficiat litteraturam popu-
larem

(*) Fr. Gabr. Resewitz, Prediger an der deutschen Petrikirche zu Coppenhagen. In-
scriptus est liber: Die Erziehung des Bürgers zum Gebrauch des gesunden Ver-
standes und zur gemeinnützigen Geschäftigkeit.